

18.

XIII 203

EXERCITIUM JURIDICUM
De
JURAMENTIS,

1637, 3

H
12

Quod
Favente Divino Numine

Ex
Indultu Magnifici & Nobilissimi
Jctorum Ordinis,

1/2

Sub
PRÆSIDIO

VIRI

Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi

Dn. ZACHARIÆ Præschence

U. J. D. & P. P. Consilarii Saxon. Curiā item
Provincialis & Scabinatus Adsefforis Gravissimi ; Pa-
troni & Antecessoris sui nunquam non obser-
vanter colendi,

In Jctorum Acroaterio

Ad diem () Aprilis

Publica placidaq; disquisitioni subjicit

JOHANNES TITIUS,

QVEDLINBURGENSIS SAXO.

JENÆ,

PRELO STEINMANNIANO.

M. D. C. XXXVII.



VIRIS
AMPLISSIMIS, CON-
SULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,
INCLYTÆ REIPUBLICÆ QVEDLINBURGEN-
SIS CONSULIBUS, CÆTERISQUE SENA-
TORIBUS GRAVISSIMIS, SPE-
CTATISSIMIS

S.

Quoniam, Viri Amplissimi, Consultissimi, Prudentissimi,
Patriæ Patres Conscripti, uberibus lacrumis deplorandum fa-
tum ex nova velut Pandora emissum, Academia nostra subire coacta ha-
ctenus fuerit, ut exinde Muse nostra in toto terrarum orbe celebrata
in exilium subacta facile crederentur; attamen per Dei gratiam & in
medio lituum clangore nobis non desunt, qui disiectas eas & fugatas ad
intermissa revocent studia, nobisq; facem praluceant. Quos secutus &
ego hanc de JURAMENTIS *Ἰουρῶν* publico subjeci exercitio, eam-
que in debita observantia signum, ulteriorisq; favoris incitamentum
Vestris inscribo Nominibus, Vosque mihi eadem demereri con-
tendo. Accipite igitur hasce pagellas serenò vultu, Meq; faventia vestra
Favoniò aspirare non dedignamini. Valete! Dabantur è Museo D. 10.
April. Jena Anno 1637.

V.V. A.A.

vel

Sulduriorum Lege

Devinctis.

A. & R.

1207

D. O. M. A.

THESIS I.

TUramentum (a) est Relligiosa divini Numinis (b) invocatio, quâ petimus (c) ut DEUS, qui *καρδιογνώστης* & veritatis patronus est, sit testis de animo nostro, quòd non velimus fallere, in fallentes autem & mentientes gravissimè animadvertat.

(a) Aliàs Jusjurandum, quasi Jus sacratum. Cujac. in π. C. ad tit. de reb. cred. & jurejur. Virgil. 2. lib. Æneid. ibi: Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura; Sacramentum. l. 11. l. 12. l. fin. C. de reb. cred. l. fin. C. de fideicom. l. 8. C. de Legat. l. 1. & 2. C. de jurejur. propter calam. Relligio. l. 24. & seqq. ff. h. t. l. 2. C. de reb. cred. l. 8. ff. de condit. instit. quia mentem jurantis ligat & religat, & timorem jurantibus injicere dicitur. l. 8. pr. ff. de condit. inst. An verò Christianus homo salvâ conscientiam præstare id possit, in disquisitionem à quibusdam protrahitur. De J. Civili quidem res expedita est, per l. 1. de jurej. ast non item de jure divino. Placet tamen in affirmativam abire sententiam, quia ipse DEUS juravit per animam suam. Gen. 22. v. 16. Jer. 21. v. 14. per vitam suam. Num. 14. v. 21. Deut. 32. v. 40. per sanctitatem suam. Psal. 89. v. 36. Amos 4. v. 2. ad Hebr. 6. v. 13. hocque sequendum præcepit Exod. 22. v. 11. Deut. 6. v. 13. Accedit & Christi exemplum, quem aliquoties jurasse ex sacris constat, in primis Marc. 3. v. 28. nec non Angelorum. Apoc. 10. v. 5. & 6. Patriarcharum. Gen. 14. v. 22. & Apostolorum. Rom. 1. v. 9. 2. Cor. 1. v. 23. Neque refragatur text. Matth. 5. v. 37. Videatur Dn. D. Balduin. incomparabilis p. m. Theologus lib. 2. c. 9. cas. 1. de Casib. consc. (b) Multivarios olim fuisse jurandi modos, ubi scilicet per allium & cæpas Ægyptii, per Mercurium Thraces, per Thanaina fluvium & Mæotidem paludem Massageta, per solem Persæ, per crambem Jónes, per Jovem Lapidem & Genium principis, Romani jurârunt, ex Historicis antiquioribus obvium est. Hodiè verò per solum DEUM. Deut. 6. & 10. Exod. 22. Jerem. 4. v. 2. nequaquam verò per creaturas. c. moyet. 22. q. 1. c. ecce dico. 22. q. 5. jusjurandum præstari obtinuit.

Handwritten scribbles and a large flourish.



ne vel more Gentilium aliquod numen Deitatis creaturis inesse
crederetur, & ne contemptis fortè creaturis promissiones per
easdem factæ, pro nihilo ducerentur, vel quòd creaturæ pene-
tralia cordis inspicere, & quodnam monstrum jurans alat, per-
scrutari nequeant. Solus enim Deus est, qui omnium habet me-
moriâ. l. 2. §. 14. C. de vet. jur. enucl. & contemptam jurisjurandi relli-
gionem ulciscitur. l. 2. C. de reb. cred. Atque hinc non caret vitio
formula jurandi in Nov. 8. & c. tibi Domino Johanni. dist. 63. propo-
sita, ut & illa, quæ in judiciis est cottidiana, ubi per DEUM &
sanctum ejus juratur Evangelium; nisi illud de verbo hypostati-
co, i.e. Christo intellectum velimus. Wesenb. in π. ff. de jure jur. n. 6.
Irrepserè quidem hodiè tritæ jurandi formulæ, *bey Fürstlichen
oder Adelichen Ehren vnd Trewen / bey Christlichen vnd wahren
Worten / an Eynesstatt ic.* quas tamen juramenti vim obtinere,
vix mihi persuadeo, cum substantiali requisito, Nominis scilicet
Divini invocatione destituantur; tametsi usu alioquin obser-
vari videam, eas quo ad contractus fidem & obligationis firmi-
tatem, non etiam quo ad pœnam perjurii juramento æquipara-
ri. Wesenb. in π. ff. h. t. n. 6. Treutl. Disp. 21. volum. 1. th. 1. lit. a. ibiq; Bach.
& Hunn. Geil 2. obs. 59. n. 6. (c) Adhibitis quibusdam Ceremo-
niis, quæ pro locorum consuetudine variantur: ut plurimum
tamen digitis tribus prioribus, pollice, *DEUM Patrem*, indice,
Filium, mediò, *Spiritum S.* innuente, in altum erectis, reliquis
duobus, annulari *animam jurantis*, auriculari *corpus jurantis* signi-
ficante, manui incurvatis, jurisjurandi præstatur religio. Per-
jurus itaque DEUM Patrem abnegat, Christi mortem acerbis-
simamque ejus passionem sibi inutilem & irritam reddit, ab Ec-
clesia separari & in ultimo vitæ spiramine absque Spiritus San-
cti solatio derelinqui, animam & corpus à desideratissimo Do-
mini aspectu in Orcum detrudi flagitat. Judæis in Curiis nostris
jurantibus specialis solemnitas præscripta est: Dextram namq;
usque ad juncturam in librum Legis. Exod. 20. v. 7. *Du solt den Na-
men ic. imponentes jurant.* Saxonum Jure im Richesteige Land-
rechts cap. 50. major & quidem sat ridicula refertur solennitas,
ubi ita dispositum legitur: *Wann ein Jude schweren soll / so soll er
stehen auff einer schweinen Haut / die Zunge hat gehabt binnen 14.
Nachten / die Haut sol man auffschneiden bey dem Rücken / vnd sie
breiten*

Ceremo-
nia Juramento

205

breiten auff die Zigen/da sol der Jude baarfuß auffstehen/ vnd nichts anhaben/ als ein Niederkleid/ vnd ein härin Tuch vmb sich/ Also ist sein Recht etc.

II.

*Estq; duplex; Judiciale & Extrajudiciale; Hoc à Magistratu vel aliis extra iudicium imponitur & versatur circa negotia & conventiones de jure validas; ut sunt assertorium, promissoriū (a) confirmatorium (b): vel circa negotia, in quibus personas ad fidelitatem, vel alia præstanda officia nobis obstringimus (c); qualia sunt Imperatorum, Electorum, Religionis, (d) Militiæ, Notariorum, Fidelitatis, Mechanicorum, Urphe-
dæ &c.*

(a) Utrumque non parit actionem, cum majorem vim, quam nudum pactum non obtineat. *arg. l. 56. ff. de fidejuss. l. 95. §. 4. ff. de sol. l. 7. §. 16. ff. de pact. excepto casu l. 7. pr. & §. 2. ff. de oper. liber. l. 7. pr. ff. de accept. l. 44. ff. de lib. caus. ubi ex jurejurando Liberti patrono datur actio. Ex quo jurejurando num verborum contrahatur obligatio, dubiū est? Negativā sequimur, quod nempe ex interrogatione & responsione demum cōtrahatur verborū obligatio. *pr. Inst. de V. O. l. 1. §. 7. ff. de O. & A. l. 52. §. 2. ff. eod. quam enunciationē tamdiu pro reciproca agnoscimus, donec in jure mōstretur contrarium. Ampliſs. Dn. D. Riemer Præceptor meus b. m. & in cineribus venerandus, Dec. 10. q. 2. Hæn. D. 14. q. 2. Forst. D. 17. th. 1.* (b) Q. An & de jure invalidæ conventiones hoc confirmantur? Nequaquam. Juramentum enim contra leges nil operatur. *l. 7. §. 16. ff. de pact. l. 112. §. f. ff. de Leg. 1. l. 5. C. de LL. ne iniquitatis fiat vinculum. c. animadvertendum. 22. q. 2. c. etsi Christus. de iurejurand. tametsi conscientis melius consultum videatur, talia si serventur Sacramenta, eo quod in foro conscientiæ obligationē pariant. c. cum contingat. X. de jurejurand. Distincta quippe sunt, Sacramentum servari debere, & illud actum invalidum validum reddere; hoc negamus, illud asserimus. *Treutl. vol. 1. Disp. 6. th. 7. in f. D. 21. thes. 2. l. b. vol. 2. D. 7.***



th. 9. l. e. (c) Quid si ejusmodi vi metuve extortum fuerit, num
 erit invalidum? De Jure Civili hoc expeditur, per l. 7. §. 16. ff. de pact.
 l. 5. C. de LL. auth. Sacramenta. C. si advers. vendit. pactum enim vi ex-
 tortum, nullum est. dd. ll. si nullam, quomodo poterit Sacramen-
 to confirmari, cum non-Entis nullæ sint qualitates. Consentit
 jus Cc. in c. quamvis. de pact. in 6. c. cum contingat. extr. de jurejurand.
 Theologos verò & Ethicos si consulas, apparet, actionem esse
 mixtam. Arist. 3. Eth. 1. Non enim simpliciter est ἀνάσσειν τι, neq; sim-
 pliciter ἐπέσειν τι, sed τὸ μίχρον, in qua adhuc aliquid voluntarii su-
 perest: Et ideò, quia juramentum factum est Deo, cujus nomen
 non prophanandum. Psal. 50. resque, quæ promittitur possibilis
 & privata, quæ nec in alterius præjudicium, nec æternæ salutis
 vergit dispendium. c. cum contingat de jurejur. omninò illud in-
 conscientia obligare existimârim. D. Balduin. lib. 2. c. 9. cas. 13. de ca-
 sib. consc. Bach. ad Treutl. vol. 1. D. 21. th. 2. l. 6. inf. (d) Hoc à Magistra-
 tu subditis imponi posse, nulli ambigimus, propter exemplum
 Moÿsis, quo suadente populus Israëliticus in doctrinam & ca-
 pita foederis jurando compromisit. Deut. 29. v. 10. adde Jos. 24. v. 25.
 2. Paralip. 15. v. 14. 2. Reg. 11. v. 17. 2. Paralip. 23. v. 16. Nehem. 10. v. 29. 1. Thes-
 sal. 5. v. 27. tum quia omnes illius causæ summè sunt legitimæ;
 Efficiens quippe est Magistratus, cui Sacramenta imponendi po-
 testas concessa, Materia Relligionis sinceritas, Forma Relligio-
 sa DEI invocatio, Finis ut Ecclesiæ servetur tranquillitas &
 vulpeculæ vineam Domini furtim devastantes appareant. Ad-
 modum Reverend. & Excellent. Dn. D. Gerhard. Affinis, hospes & promo-
 tor meus filiali amore submissè devenerandus, sect. 3. q. 210. de Magistr.
 Politic.

III.

*Illud in judicio pendente lite, vel à judice, vel ab
 ipsis partibus invicem defertur; & usurpatur vel
 Religionis injiciendæ causâ, ut Calumniæ, Pur-
 gationis, Testimonii, (a) vel litis terminandæ
 gratiâ.*

(a) Quartam alii addunt speciem, Juramentum videlicet,
 quod judicio sistendi causâ à Reo in jus vocato olim exigeba-
 tur,

etur, at minùs idoneè: si enim ista species hùc referenda, certè & omnia illa hùc referri poterunt, quæ vel ob dignitatem personæ, vel ob satisfactionis defectum de lite persequenda præstanda sunt in *l. pen. C. de dignit. Nov. 53. & Nov. 112. auth. generaliter. C. de Episc. & Cler.* Magis fortè hùc referri posse videtur Judicium & Tutorum juramentum, quo relligio istis injicitur. *Nov. 72. c. fin. l. rem non novam. C. de Jud. Bach. ad Treutl. vol. 1. D. 21. th. 3. l. b. in f.*

IV.

Calumnia juramentum, quod initio litis (a) de bona sua conscientia, bonitateq̃, quam opinantur (b) cause sue, utraque (c) litigantium pars, eorundemq̃ advocati (d) præstant; est vel generale, vel speciale (e): & adhibetur in causa civili, criminali (f) & spirituali (g). Recusans autem actor, causâ cadit, (h) reus declaratoriâ sententiâ (i) pro confesso pronunciatus, in expensas litis condemnatur. (k)

(a) *l. 2. §. f. C. de Jurejur. propter calumn. aut saltem post litem contestatam. l. rem non novam. §. 1. pr. C. de Judic.* (b) Non itaque de veritate, sed tantùm credalitate præstatur. *l. 2. §. 2. vers. & licet. C. de Jurej. propter calumn. §. 1. Inst. de pæn. tem. litig.* & plerumque hæc continet capita (1) quòd credat jurans, se justè & non calumniosè agere, (2) quòd in omnibus veritatem sit dicturus, (3) quòd falsam probationem vitaturus, (4) Judicem non corrupturus, (5) nec calumniosam dilationem, quâ lis producat, sit petiturus. *Wesenbec. in 7. C. de Jurejur. propter calumn. num. 3. & 7.* (c) Cujuscunque sit dignitatis. *l. 2. §. 1. C. d. t.* etiam communitates, ita ut priùs juret actor, postea reus. *d. l. 2. §. sed quia. §. quòd si actor.* (d) *d. l. 2. in f. pr. §. sed quia. in fin. C. eod. l. rem non novam. C. de Jud. §. 1. Inst. de pæn. tem. litig.* An & eorum procuratores? Disting. inter procuratorem in rem suam, & procuratorem in rem mandantis constitutum; Ille de calumnia jurare tenetur, quia non tam procurator, quàm principalis esse videtur, utpote qui alienam causam in proprium administrat commodum, qualis est, cui

cui Dominus actiones cessit l. 34. l. 55. ff. de procurat. l. 2. in f. ff. famil.
 ercisc. l. 24. ff. de minor. Hic verò de Jure Civili non jurat, quia ipfis-
 met litigantibus & qui alienarum rerum administrationem, le-
 gitimâ authoritate, non privato mandatu gerunt, hoc jusju-
 randum præstandum incumbit. l. 2. §. 2. C. de Jurejur. propter calumn.
 Secus est de Jure Cc. in quo, si speciali mandatu voluntas Do-
 mini apparet, ad Sacramentum hoc admittuntur. c. 3. 4. & 6. de
 Juram. calumn. c. 2. §. 1. & c. 3. de Juram. calum. in 6. quod & usu rece-
 ptum, testatur Geil. 1. observ. 83. num. 1. tum quòd litis contestatione
 procuratores sint facti litis Domini. l. 11. C. de procurat. tum, quia
 plerumque calumniari meliùs sunt edocti, quàm ipsi litigantes,
 qui nisi coërcerentur, pessimis sæpè & dudum vulneratis causis
 non sine summo partium detrimento sese immiscerent. Wesenb.
 in 7. C. de Jur. propter calumn. n. 7. Bach. ad Treutl. 1. vol. D. 21. thes. 4. l. d.
 Nemini etiam vel expressè, vel tacitè remitti hoc potest. l. 2. §.
 sed quia. C. h. t. excepto patre & patrono. l. 8. §. pen. ff. Qui satis dar. cog.
 l. 13. §. 14. ff. de damn. infect. l. 7. §. 3. ff. de obseq. pat. prest. Domino & Va-
 sallo. 2. F. 33. §. 1. Geil. 1. observ. 85. & 101. (e) Speciale dicitur, quod
 tam in judicio, quàm extra judicium in singulis judicii partibus
 aliisque in causis olim exigebatur. l. 1. C. de Jurejur. propter calumn.
 Generale, quod initio litis de tota causa præstatur, nihil in ea
 calumniandi animo factitatum iri; id quod hodiè sufficit. auth.
 hoc Sacramentum. C. d. t. Nov. 49. c. 3. (f) propter textus generali-
 tatem l. 1. C. h. t. & c. un. 2. F. 27. de pac. tenend. quod tamen de actore,
 non verò de reo accipio; ne videlicet fenestra aperiatur manife-
 sto perjurio: cum enim confessum sequatur pœna & condemna-
 tio, reus utique pejeraturus potiùs, quàm veritatem dicturus
 præsumitur. Bach. ad Treutl. Disp. 21. vol. 1. th. 4. l. a. (g) c. 1. §. fin. de
 Juram. calum. in 6. (h) c. 7. de Juram. calumn. l. 2. §. quod si actor C. de
 Jur. propter calum. (i) auth. principales. §. fin. C. d. t. (k) §. 1. in fin. In-
 stit. de pœn. tem. litig. l. 79. ff. de Jud. l. 2. l. 5. C. de fruct. & lit. exp. l. 13. §. 6.
 C. de Jud. l. fin. C. Quand. provoc. non est neceß.

V.

**Juramentum quod litis terminande gratiâ ad-
 hibetur, vel ob solam controversie decisionem, vel**
 ob

ob culpam debitoris interponitur; hoc dicitur in li-
tem: illud tres sub se complectitur species, Volunta-
rium (a) s. conventionale, quod ex conventionem
per modum transactionis extra iudicium defertur,
Judiciale, (b) quod a parte parti in iudicio, iudice
approbante, defertur, & Necessarium (c) quod ino-
piâ probationis à iudice litigatori imponitur.

(a) l.17. l.39. l.28. §.10. ff. de Jurej. ita dictum, quod ex voluntate
& sponte suscipiatur: ab initio enim liberum est non deferre, &
ei, cui defertur, liberum, non suscipere. Borcholt de Jurejur. c.3.
(b) l.25. l.26. §. fin. ff. h. t. l.12. §.1. C. eod. à loco ita dictum. Borcholt c.2.
n.15. de Jurejur. (c) l.31. ff. h. t. l.3. C. eod. Confundunt hic plurimi
necessarium & judiciale, quæ tamen sunt distinctissima: etiam-
si enim & necessarium præstetur in iudicio, non tamen nisi co-
gente necessitate ob defectum probationis imponitur. l.3. C. de
Jurejur. & propterea necessario præstandum est; Judiciale au-
tem non absolutâ necessitate suscipitur. Et licet in hoc uno
convenient, in alio tamen differunt, atque ideò illi nomen spe-
cialius est impositum, cum commodius sit singulas causas singu-
lis appellationibus distingui. §.5. Inst. Quib. mod. testam. infirm. id
quod in Jure nostro novum haut est. Ita contractus solo consen-
su constare dicuntur. §. fin. Inst. de oblig. in matrimonio solus quo-
que consensus requiritur. l. nuptias ff. de R. I. & ita in hoc conve-
niunt, non tamen ideò matrimonium erit contractus, sed res, de
qua contrahitur. D. Riemer Dec. 2. q. 1. Sic arrogatio est adoptio,
quia tamen in eo differunt, quòd hæc adoptentur, qui in sacris
adhuc paternis constituti; illâ verò, qui sui juris sunt, ideò spe-
cialius nomen consequitur & arrogatio dicitur. §. 1. Inst. de adopt.
Similiter Feudum est ususfructus. 2. F. 23. in fin. quia tamen in eo
fides & servitium debetur. 2. F. 3. & 23. specialius nomen acquirit
& Feudum dicitur.

VI.

Voluntarium mere quidem est voluntatis, se-
mel tamen susceptum præstari omninò debet, neque
B defe-



deferenti referri (a) aut perjurio detecto retractari (b) vel revocari (c) potest; præstitum auctori actionem, (d) reoparit exceptionem. (e)

(a) l. 17. pr. ff. de Jurejur. Sicut enim ab initio libera potestas est unicuique habendi vel non habendi contractus, ita semel constitutæ obligationi adversario nolente renunciare nemini licet. l. in commodato. 17. §. sicut. ff. Commod. l. 5. C. de O. & A. (b) l. 1. C. de Jurej. l. 31. in fin. ff. eod. l. 21. & seq. ff. de dol. mal. Habet enim hoc jusjurandū vim & effectum transactionis. l. 2. ff. de Jurej. imō majorem, quā res judicata. d. l. 2. Sicut igitur res judicata & transactio perfecta non rescinditur; ita nec jusjurandum: quod bono publico receptum est, ne lites fiant immortales. Hinc post juramentum ampliū nil quæri, quā an juratum sit, tritum est juris brocardicum. l. 5. §. dato. ff. de Jurejur. §. 11. Inst. de act. Wesenbec. in π. de Jurej. n. 8. Magnif. & Nobiliss. Dn. D. Arumaus Præceptor. ac Mæcenas noster b. m. pie venerandus disp. π. 11. th. 9. Malè tamen exinde infertur, pejerantem ex perjurio suo lucrum hac ratione sentire, quippe quæ & Jure Divino & Civili pœna expectat. l. 41. C. de transact. l. 13. §. fin. ff. de jurej. l. 22. ff. de dol. mal. l. fin. ff. de crim. Stellionat. l. 17. C. de dignit. Nov. 117. c. 11. Quod & Const. Carol. criminali. art. 107. & 108. confirmatum legimus. Bach. ad Treutl. vol. 1. Disp. 21. th. 8. l. b. Dn. D. Arum. d. Disp. π. 11. th. 8. Wesenb. π. de Jurej. n. 13. Henon. Disp. 25. th. 15. Goehausen 1 peric. Academ. q. 54. (c) Quia ei, qui illud suscepit, jus quæsitum est per modum conventionis. arg. l. 17. pr. ff. h. t. & ita isto invito revocationi nullus datur locus. argum. l. 5. C. de O. & A. Bach. ad Treutl. d. Disp. th. 8. l. c. (d) Quæ in factum dicitur & nova quidem est, veterem tamen non extinguit, sed cum ea Electivè concurrat. l. 13. §. 3. & 5. ff. de Jurej. l. 1. C. de Jud. l. 25. §. 1. ff. de const. pecun. §. 4. & 5. Inst. de Except. l. 7. §. 7. ff. de publ. in rem act. (e) l. 6. & 9. ff. h. t. & datur ipsi reo, successoribus & heredibus ejus, sive in rem, sive in personam. l. 7. l. 8. & fidejussoribus. l. 28. §. 1. ff. h. t. etiamsi ab alio, quā a principali sit præstitum Sacramentum: solutionis enim habet effectum. l. 27. ff. h. t. solutio autem etiam ab alio facta liberat principalem ejusque fidejussorem. pr. Inst. Quib. mod. oblig. §. 6. l. fin. §. 2. ff. h. t. igitur & jusjurandum.

Judi-

VII.

Judiciale delatum si fuerit, suscipiendum est, (a) nec recusari potest, etiamsi illud deferens nihil probarit. (b) Prestitum vero Jure Civili sententia sequitur. (c)

(a) c. ult. de Jurejur. nisi justa adsit excusatio, ut si parenti & patrono jusjurandum deferatur. l. 34. §. 4. ff. l. 11. C. de Jurej. si Sacramentum referre malit. l. 34. §. 7. ff. eod. l. 9. C. eod. Sic si id lædat pietatem, honestatem, verecundiam, pro impossibili habetur. l. 15. ff. de condit. instit. (b) Ltutor. ff. h. t. l. fin. C. de fideicom. l. generaliter. C. de reb. cred. & jurejur. l. fin. §. 10. C. de Jur. delib. l. 9. C. eod. Manifestæ namque turpitudinis est & confessionis, nolle jurare, aut jusjurandum referre. l. 38. ff. h. t. & cum ille, cui juramentum offertur, testis & judex in propria causa constituatur, idè jurare si recusat, pessimā se fovere causam, cōfiteri præsumitur. Fachin. lib. 1. controv. c. 19. Wesenb. in 7. h. t. n. 9. quod & tum procedere putamus, quando actor conatus est suam probare intentionem, in probationibus autē deficiens jusjurandum reo detulerit, propter d. l. manifesta. 38. ff. & l. 9. C. h. t. Quid si actor plenè probare rem paratus sit? Et eo casu ipsi deferri potest, tum quia maximum est expediendarum litium remedium, Sacramentum. l. 1. ff. h. t. tum ob rationem. d. l. manifesta. 38. & l. 9. C. h. t. (c) l. 74. ff. de Jud. l. negantes. C. de O. & A. l. 1. C. de except. rei Jud. l. 34. §. fin. ff. de Jurej.

VIII.

Necessarium (a) seu Suppletorium in causis, ubi neque nihil, neque plenè probatum est, etiam ex officio, parte non petente (b) imponitur, (c) nec remitti, vel referri, (d) novis tamen instrumentis repertis retractari potest. (e) Ad præstandum id citatus ipse (f) comparere debet, contumax actor actione cadit, reusq; absolvitur, (g) reus ad solvendum impellitur. (h)

B 2

(a) Ob-

(a) Obtinet etiam in appellationibus. *Geil. 1. obser. 108. n. 9.* non
verò in criminalibus, si agatur criminaliter, cum in his non
quævis probationes, sed luce meridianâ clariores requirantur.
l. fin. C. de probat. Secus si civiliter. l. 3. C. de reb. cred. c. fin. de Jurej. Fa-
chin. lib. 1. contr. c. 15. Bach. ad Treutl. vol. 1. D. 21. th. 10. l. a. (b) Judex
enim cuncta rimari & pro habenda veritate omnibus modis la-
borare debet. *c. judicantem. 30. q. 5. c. cum causam. de testib. l. 21. ff. de Ju-*
rejur. Fachin. lib. 1. contr. c. 16. Bach. d. Disp. th. 10. l. b. Geil. d. obser. 108.
(c) Num ante vel post causam conclusam? Disting. aut ad ju-
rumentum offert se reus, aut Judex illud spontè imponit; hoc
procul dubio etiam post conclusionem in causa, rescissâ eâ ex
officio fieri potest. *Geil. d. obser. 108. n. 5.* Illud, magis est fieri non
posse, quia juramentum necessarium est probationis species, fa-
ctâ verò utrinque conclusione, probationibus omnibus renun-
ciatum & partibus os clausum est, ut dicunt *Dd. per tex. in c. cum*
Joannes. & c. cum dilectus. de fid. instrum. Bach. ad Treutl. d. Disput. lit. c.
Geil. d. obser. n. 1. (d) *l. 3. C. l. 31. ff. h. t.* (e) *l. 31. ff. h. t. l. de actione. C. de*
Transact. l. 1. & t. t. C. si ex fals. instr. Quod enim dicitur sententiam,
quæ transivit in rem judicatam instrumentis novè repertis, non
retractari. *l. sub specie. C. de re Judic. l. 35. ff. eod.* non obtinet in sen-
tentia, quæ ex privilegiatis probationibus lata est. *l. fin. C. ad L. Ju-*
liam. de adult. qualis hæc est, in qua sibi ipsi testis quis existit, con-
tra communes Juris regulas, quæ neminem in propria causa te-
stem esse volunt. *l. nullus. ff. de test.* Nec restitutione opus esse puta-
mus, quia in *d. l. 31.* illud Constitutionibus Principum, quæ Juris
Civilis pars sunt. *l. 1. ff. de constit. princip. §. Sed & quod. Inst. de J. N. G.*
& C. permitti dicitur: non itaq; indigebit extraordinario auxi-
lio, qui mero Jure munitus est. *l. 16. ff. de Minor. Wesenb. in c. ff. de Ju-*
rej. num. 11. An & à sententiâ Sacramento decisâ appellare licet?
Minimè. Quis enim ferendus est inveniens appellationis auxi-
lium, in his, quæ ipse facienda procuravit. *l. 12. §. 1. C. de reb. cred.*
(f) *l. 12. §. 4. C. de reb. cred.* nisi necessitate prohibeatur. *l. 2. §. 1. & 3.*
ff. si quis caut. l. 8. ff. de test. vel veniendi necessitas Jure remittatur.
l. veniendi. C. de procurat. (g) *l. 9. l. 34. §. fin. ff. de Jurejur.* (h) *d. l. 34.*
§. 9. ff. h. t. & l. 9. C. eod.

In

In Litem jusjurandum est estimatio litis (a) cum obtestatione divinâ ab actore, (b) deferente iudice (c) facta; & duas (d) sub se continet species: Unam, quanti in litem juratum, & dicitur Jusjurandum affectionis; alteram, quanti res est & vocatur veritatis, (e)

(a) Litis vocabulum in Jure ambiguum est, & trifariam accipitur, 1. enim significat controversiam, quæ in iudicio movetur. l. 4 ff. de Jud. l. 65. §. 1. ff. de condict. indeb. 2. Actionem, quæ in iudicio exercetur. l. 36. de V. S. l. 15. §. si propter. ff. ad Sct. Turpil. l. unic. C. de lit. contest. 3. Rem ipsam, de qua controversia in iudicium est deducta. l. fin. C. de condict. tritic. l. 21. ff. de Evid. & hanc posteriorem hoc in loco apprehendimus, moti l. 46. ff. de R. V. l. 8. §. 1. ff. rer. amot. & l. 9. seq. l. 8. ff. de in lit. iurand. idq; vel ex eo etiam, quod per jusjurandum in litem rem ab actore vendi placuit. l. 70. ff. de R. V. l. 8. §. 1. ff. rer. amot. l. 10. §. penult. ff. de Jur. dot. l. 7. §. 1. ff. de publ. in rem act. l. 3. ff. pro Emi. (b) l. 2. §. 1. l. 5. in fin. ff. h. t. nec tamen aliter, quàm a volente, quandoquidem in illius tantum gratiam inventum est ac introductum. l. 71. ff. de R. V. l. 8. ff. h. t. junct. l. pen. C. de pact. nec etiam a quovis, sed ab eo demum, qui litem suo nomine contestatus est. l. 7. l. 8. ff. h. t. (c) An in arbitrio iudicis, illud etiam non deferre? Disting. Aut rem adhuc possidet reus, ejusque restituendæ habet facultatem; aut dolo malo rem possidere desiit: Illo casu liberum est iudici, jusjurandum hoc actori deferre, vel rem a possidente manu auferre militari. l. 4. §. 2. l. 5. §. 1. ff. h. t. junct. l. 68. ff. de R. V. Hoc ad deferendum iudex compellitur, adeo ut nisi id fecerit, rectè ab eo tanquam gravante appellari possit: Quæ enim arbitrio iudicis concessa sunt, non in meram ejus voluntatem, sed quasi bono viro commissa intelliguntur. arg. l. 75. pr. ff. de Legat. 1. Quod si itaque officio suo non fungatur & adversus contumacem, qui vel maximè dolo possidere desiit, Juramentum hoc non deferat, omninò appellare licebit. Borcholt. tr. de in lit. jur. c. 3. n. 1. Hann. tr. de estimat. rer. sect. 2. q. 3. (d) Tertiam speciem, quam vulgò

B 3

vulgò



vulgò Singularis interesse vocant, non agnoscimus. Quando enim ratio habetur ejus, quod interest, necesse est, ut vel utilitas, quæ verè abest, spectetur, quod fit in juramento veritatis; vel quam quis pro arbitrio sibi fingere potest, & tùm cum affectionis Sacramento coincidit. (e) Appellationes istæ, etiam si Juri non sint cognitæ, res tamen cognita est; ut cùm in l. 1. ff. h. t. rem æstimari jurejurando ultra rei precium dicitur, hoc ipso ex affectu jurantis rem pluris esse, quàm valeat, significatur. Accedunt LL. in infinitum jurare permittentes. l. 4. §. 2. ff. h. t. l. 8. l. 2. ff. h. t. l. 69. ff. de R. V. at in infinitum actor jurare non posset, si ex veritate solùm & quanti reverà res est, non etiam ex affectione (quam tamen judex ad æquum bonumque taxationem adjiciendo redigere potest. l. 4. §. 2. ff. h. t. l. 3. §. 2. ff. ad exhib. l. 18. ff. de dol. mal. Wesenb. in π. h. t. n. 8.) seu quanti interest, jurare cogeretur. Magnif. Dn. Arum. Disp. 7. 11. th. 10. Non tamen accurata est specierum harum oppositio, cùm etiam per juramentum, quod affectionis dicitur, quanti res est, æstimetur, licèt non æstimatione communi, sed jurantis: quamvis aliquando, in iis videlicet terminis, ubi res per judicem æstimanda est, adeoque in specie accepta, inter se opponantur; quod accidit, ubi reus, qui rem restituere debet, dolo caret, quò pertinet l. 68. ff. de R. V. Bach. ad Treutl. vol. 1. D. 21. th. 11. l. b.

X.

Affectionis, in omnibus præstatur causis, siue sint in rem, (a) siue in personam, (b) siue bonæ fidei, (c) siue arbitraria (d) sit actio, modò agatur ad rem restituendam vel exhibendam: (e) idq; ob dolum & latam culpam (f) in rebus incertam æstimationem habentibus. Veritatis (g) in omnibus quoque, ubi culpa & dolus debitoris, nec non rei interitus, seu deterioratio intervenit, (h) usurpatur.

(a) l. 5. ff. h. t. l. 16. §. 3. ff. de pignor. l. 7. ff. Si servit. vindic. l. 68. ff. de R. V.

(b) l. 18.

(b) l. 18. ff. de dol. §. 31. Inst. de action. l. 25. ff. de O. & A. (c) l. 1. §. 26. ff. de
 posit. l. 48. ff. Locar. In directis scilicet, non etiam contrariis, ut
 quæ nunquam ad rei tendunt restitutionem. l. 5. ff. de pos. huic ju-
 ramento locus. (d) l. 68. ff. de R. V. ubi sub generali arbitraria-
 rum mentione etiam de dolo, & quod metus causâ actiones
 comprehendimus; de quibus aliâs textus est expressus in l. 18. ff.
 de dol. (e) d. l. 68. ff. de R. V. l. 9. ff. rer. amor. l. 3. §. 2. l. 5. §. 2. ff. ad Exhibend.
 Non itaque in actione Empti, cum in ea non ad rem restituenda,
 sed tradendam agatur. l. ex emto. 11. ff. de act. emt. l. 1. ff. de rer.
 permut. Magnif. Dn. Arumæus Disput. 7. 11. th. 12. (f) Hæc enim no-
 mine Doli tam in contractibus, quam delictis, ubi scilicet de
 pœna pecuniaria agitur, veniens, ut dolus vindicatur. l. 1. §. fin.
 junct. l. 32. ff. de posit. l. 1. §. 1. ff. Si mens fals. mod. dix. l. 2. C. de in lit. Jur. (g)
 Quod & Necessitatis dicitur, quod nempe aliter de rei æstima-
 tione, quæ amplius non extat, constare non possit. l. 5. §. 4. ff. h. r.
 (b) l. 2. l. 4. fin. l. 5. ff. eod.

XI.

*Affinia Juramentis sunt promissio fidei, (a) bo-
 ni mores, (b) charitas, pietas, veritas (c) & c. Con-
 traria, vis, (d) dolus, error, (e) impubes etas, (f)
 absolutio. (g)*

(a) c. 3. de R. J. in 6. c. constitutus. X. de Transact. (b) c. non est. X. eod.
 (c) c. cum quidam. c. veritatis. 14. eod. (d) Auth. Sacramenta. C. si ad-
 versus vendit. (e) c. homines. ult. 22. q. 2. Wesenbec. in π. ff. de Jurejur.
 n. 14. (f) d. auth. Sacramenta. c. parvul. 22. q. penult. (g) Quæ à
 LL. ff. Imperatoribus. l. fin. ff. ad Municip. l. fin. ff. de re milit. concedi-
 tur. Similiter novissimis Imperii Constitutionibus Impe-
 rator juramenta remittit personis, quæ inferiori alicui obliga-
 tæ sunt jurejurando, propter causam publicæ utilitatis; uti ca-
 sus est in R. A. de anno 1555. §. Und sollen die jentigen / so in den
 Kreyßen re. & §. Und sollen in diesen beyden Verordnungen re. Ca-
 mera quoque Imperialis quoad absolutionem & relaxationem
 juramenti ad effectum agendi fundata est. Ord. Camer. p. 2. tit. 27.
 Cum

Cum enim tali in casu per se ad forum civile principale spectet negotium, propter adjectionem juramenti, relaxatio ista ab eo non est removenda, contra juris regulam, quæ accessorium naturam sui principalis sequi debere, inculcat. *c. accessorium. de R.I. in 6. Reink. de utroque regim. lib. 3. cl. 1. c. 10. n. 58.* Extra hos terminos Ecclesie eam non immerito tribuimus, si scilicet absolutionem à peccatis seu remissionem spirituales spectemus, quando v. g. juramentum illicitum, improbum & divinæ voluntati contrarium; tametsi quod divino istud præstetur Numini, & sacer Sermo sancte hoc servari mandet. *Num. 30. Matth. 5.* vix est, ut ea potestas absolutè Ecclesie, multò minùs Romano possit concedi Pontifici. At si iste DEUS est. *c. satis evidenter. 7. dist. 96. c. quanto. 3. de Translat. Episcop. vers. non enim homo.* omnes judicaturus. *c. si Papa. 6. dist. 40.* à nemine autem, neque ab Augusto, quem ut Sol Lunam, præcedit. *c. sollicita. 6. pr. & c. præterea nosse. X. de Majorit. & obed.* neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo judicandus. *c. nemo judicabit. 9. q. 3.* etiamsi innumeras animas catervatim secum deducat ad Tartara. *c. si Papa. dist. 40. c. nemini. 17. q. 4.* quis tantæ superbiæ fastidio tumidus tantæque authoritatis, qui ipsi hoc denegare aufit. *arg. l. 12. C. de LL.*

Novell. 23. c. 2. c. anterior. 28. q. 6. Credis? credat Judæus Apella, non ego!



Επισημ.



Ἐπιτεταμένη

I.

In §. *Rursus. 7. de act.* unicum saltem datū judi-
cium, videlicet *Rescissorium*; alterum *Re-*
scindens, commentitium est.

II.

Nimis durum & iniquum, suspendi hominem
ob pecuniam & bona, cum *M. Stephano l. 1.*
c. 8. n. 55. de jurisdict. existimo.

III.

In alienatione Feudi subinfeudati, & Mediati
& Immediati Domini consensum requiro.

IV.

Exinde quòd Jure Canonico in Imperio utamur
Romano, nulla tribuitur Papæ supe-
rioritas.

V.

Et adhuc hodiè virtute *primariarum precum* in
territorio Principis alicujus Augustanæ
Confessioni addicti, beneficium vacans
in alium transferre, SS. Cæsareæ Majestati
licitum.

VI.

A foedere Chambortico (*seu ut cordatiores vo-*
lunt)

lunt) Fridevvaldico, in scio Henrico II.
Galliarum Rege, Mauritius Saxoniae Ele-
ctor non recessit.

Ad Præstantissimum Dn.
Respondentem, Conterraneum, Com-
mensalem & affinem suum
pl. dilectum.



*Unomies, TITI, decus immortale, Themistos
Gloria, pars patriæ, spes quoque magna, mea.
Dum, juramenti quæ sit Natura sacrati,
Egregiâ calami dexteritate doces,
Esse tibi partos, Themis aurea jurat, honores,
Quæq; suâ tribuet, clara trophæa, manu.
Sic, quos egisti quatuor feliciter annos
Nobiscum in studiis, præmia digna manent.*

Gratulat. ergo
scrib.

Johan. Gerhard. D.

*I*ane decus Phœbi, TITI Themidosq; sacerdos
O pars, ô animi delitiumq; mei,
Quis voluisse neget sinuosa volumina juris,
Teq; Aganippæo labra rigâsse vado?
Dum juramenti tua, quod sit jus, & origo,
Effectus sit quis? Imemata docta docent;

Mate-

Materies nodosa satū, perplexa satūq;
 In rostris celebris, nobiliū inq; foro:
 Maſte ergo virtute tuā, nunc pulpita ſcandē
 Teq; oppugnantes dexteritate fuga.
 Arma tibi Codex, Galeam Digēſta miniſtrant,
 Uteris hiis armis cū bene, victor eris:
 Victor eris certus, ſine cade & ſanguine victor,
 Nam prado aut latro, non tibi miles erit:
 Militis inſtar erunt Leges, quæ dicta tuentur,
 Nil rapiēt, verūm dogmata plura dabunt:
 Hinc tibi ſurget honos, tandem redimentq; capillos
 Laurea ſerta tuos; Hinc tibi ſurget honos.

Pro bono voto & fato benevolentia
 ergo deproperabat.

Julius Marces/ U.J.D.

Jura Doctorem fore Te: qui poſſe negaret?
 Ut Juramentis conſtet amata fides.

Dn. Respondenti, amico veteri
 & percharo adpl.

M. Johan. Theill.

Tempus adest, vario quo pratum flore nitescit,
 Quo gemmas tumido cortice palmes agit,
 Quodq; legunt violas juvenes hilaresq; puella,
 Atque favoris opus mutua ſerta gerunt.
 Sed tibi nec viola grata, nec grata puella
 Serta, TIT Themidos gloria, Myſta, decus.

C 2

Sunt

*Sunt Leges viola, quæis gaudes, suntq; corona,
Quas nectis, doctâ lemmata mente sata.
Talia perge, TITL, connectere plurima ferta,
Et Themis ipsa tibi ferta decora dabis.*

Eximio Dn. Respondenti, Contubernali
suo amico & favorabili honoris
atque amoris ergò adponebat.

M. Hartman Schacher/Lips.

F I N I S.



ULB Halle
003 862 070


3




Sl.

Von







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

RIDICUM

NTIS,

mine

i & Nobi-
rdinis,

IO

Excellentissimi

E Præsence

xon. Curia item
oris Gravissimi; Pa-
quam non obser.

roaterio

prilis

ioni subicit

TITIUS,

IS SAXO.

ANNIANO.

VIL

XIII 203

1637, 3

12

v/v

